

## P R O L O G U S.

Philosophiam ab ipsis restauravit fundamentis , à tot tantisque , quibus scatebat , repurgavit lacunis , ac proprio nativoque restituit nitori ; nempe Præjudiciorum omnium abdicatio seria , & nullius rei nisi clarè distincteque perceptæ assensio atque assertio . Diu multumque reputavi mecum sedulò , an , quemadmodum illi in Philosophiâ , sic & mihi in Theologiâ liceret , conduceretque in dubium revocare , quicquid in dubium revocari posset , idque continuò , tanquam falsum , rejicere , donec tandem ad aliquid in Theologiâ firmum ac stabile , quò tutò pedem figere possem , pervenirem . Hic autem dum aliquantulum subsisto , atque animum , ne piscator ictus saperem ,

In partes rapiò varias , perque omnia verso , post longam satis feriamque deliberationem , nihil mihi ex istâ dubitatione periculi , nihil damni aut incommodi imminere , deprehendi ; imò verò , cum ipsos in consilium advocarem Theologos , id S. Scripturæ , adeoque , quæ ex ipsâ hauritur , Theologiæ recte intelligendæ atque addiscendæ maximè conducere , aliquos ex iis non infimi subsellii statuere , ac tironibus non obscurè suadere repperi . Sic enim Zanchius Tractat . de S. Scripturâ (qui est in ejus Operum Tom . 8 .) quæst . 12 . cap . 1 . reg . 3 . & Scarpius Curs . Theolog . loc . de S. Scripturâ Controvers . 8 . Reg . 3 . præcipiunt , Ut ad illarum (scil . Scripturarum) Studium , sine ullô præjudiciô , vel è nostrô capite , vel aliorum doctrinis conceptô accedamus ; sed animô candidô , purô , discendiique cupidô . Præjudicium enim maximum est profectus impedimentum . Ideo Christus suos à fermentô Pharisæorum sibi cavere jussit . Quod etiam spectat Polanus , quando Theolog . Syntagm . lib . 1 . cap . 45 . quæst . 6 . Inter impedimenta inveniendi verum S. Scripturæ sensum quintô locô enumerat Indocilitatem ob præjudicia , quibus plurimi imbuti sunt . Et Ravanellus Bibliothec . Sacr . Titul . de Scripturâ , cùm inter media necessaria ad erendum & consequendum verum ac legitimum Scripturæ sensum , atque adeò ad interpretandam Scripturam , requirit animum à pravis affecti-